

**05**

**A**

**227**



A  
H  
J  
F



70

OBSERVATIONUM  
THEOLOGICARUM  
*ex Commentario B. Lutheri in  
Epistolam ad Galatas,*  
finitis in eandem Prælectionibus  
in  
ALMA ELECTORALI FRIDERICIANA  
ad disputandum selectarum  
**EXERCITATIONES**  
**X.**  
PRÆSIDE  
**JOACHIMO JUSTO  
BREITHAUPT, D.**  
publicè habitæ  
ANNO MDCXCIV.

---

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, AC. TYP.

Stalle

*Nomina Respondentium,*  
*quo disputarunt ordine.*

- I. JOHANN HEINRICUS Steinfeld.
- II. GOTOFREDUS OLEARIUS.
- III. JOHANNES POPPENDIECK.
- IV. JOHANNES HENRICUS SCHROEDER.
- V. LUDOLPHUS CHRISTOPHORUS DEICHMANN.
- VI. SIGISMUNDUS ABRAHAMUS WAGENER.
- VII. JOHANNES THEOPHILUS KUDERLING.
- VIII. JOHANNES CHRISTOPHORUS MEHDER.
- IX. AUGUSTINUS ANTONIUS.
- X. HIERONYMUS BRUCKNER.



05 A 227



IN NOMINE JESU, AMEN.

Ex Præfatione Commentarii in Epistolam  
ad Galatas.

OBSERV. THEOL.

I.

**I**N corde unus regnare debet Articulus, scilicet, fides Christi; Ex quo, per quem, & in quem, omnes fluant & refluant Theologicæ cogitationes.

II. Unica & solida Justificationis petra hæc est, quòd non per nos ipsos (haud dubiè neque per nostra opera, quæ minus sunt, quàm nos ipsi) sed per alienum auxilium, per filium unigenitum Dei, Jesum Christum, simus à peccato, morte, diabolo redempti & vita æterna donati.

III. Vexavit hanc Petram Satan in Paradiso, quando primis parentibus persuasit, ut propriâ sapientiâ & virtute Deo similes fierent, relictâ fide in Deum.

IV. Post Lapsum, secuta est contra eandem fidem perpetua persecutio Satanæ per filios Cain, usque ad diluvium.

V. Post diluvium totus mundus contra hanc fidem insanivit, infinitis repertis idolis & religionibus, quibus unusquisq; sine alieno auxilio Christi, suo proprio opere, sese redimere à malis & peccatis voluit.

VI. In populo Dei Israel sic justitiæ propriæ furor profecit, ut Prophetæ, & ipse Filius Dei, occiderentur, quòd docerent, gratiâ Dei, non justitiâ nostra, homines Deo placere.

A 2

VII.

VII. Summa propositio diaboli & mundi ab initio hæc est: Nos non volumus malefacere videri, sed quæcunq; facimus, hæc debet Deus probare, & omnes ejus Prophetæ consentire. Quod si non fecerint, moriantur.

IIIX. Atrocius peccat Ecclesia Gentium Christiana, quam olim Judaica, ut Synagogæ furor ludus fuisse videatur. Judæi enim Christum suum non cognoverunt, ideò Dominum gloriæ crucifixerunt: sed Gentium ecclesia accepit & confitetur, Christum esse Filium Dei, factum justitiam nostram, & ea palam cantat, & legit & docet. Et hac stante confessione occidunt tamen illi ipsi, qui volunt esse Ecclesia, persequuntur, sæviunt in eos, qui nihil aliud credunt, docent, faciunt, quam quòd Christus sit hoc ipsum, quod ipsimet ore & facto simulato fateri coguntur. Ita Christus est ludibrium apud suos Christianos.

IX. Propterea opusest, hunc Articulum quam diligentissimè tractare, & Satanæ opponere.

X. Opus divinum non pendet ex dignitate personæ.

*Ex Breviori PRÆFATIONE.*

XI. Jacente & pereunte doctrinâ de justificatione per fidem, jacet & perit simul tota cognitio veritatis: eâ florente, florent omnia bona, religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium statuum & rerum.

*EX ARGUMENTO.*

XII. Justitia est vel activa vel passiva. Activa est vel Politica, quam Principes & Docti tractant: vel Ceremonialis, quam v. c. Patresfamilias & Pædagogi tradunt: vel Legalis, quam Moses docet. Passiva justitia est Christiana illa, gratiæ, misericordiæ, remissionis peccatorum; in summa, Christi & Spiritus Sancti, quam non facimus, sed patimur, non habemus, sed accipimus, donante eam nobis Deo Patre per Jesum Christum. Utraque est necessaria, sed quælibet intra suos fines contineri debet. Evangelium pertinet ad conscientiam & novum hominem: Lex verò ad carnem veterem. Inter has duas justitias non est medium.

XIII.

XIII. Lex quidem est summum omnium, quæ sunt in mundo; tamen tantum abest, ut conscientiam conterritam possit pacatam reddere, ut etiam plus contristet ac in desperationem adigat. Per Legem enim peccatum fit excellenter peccatum.

XIV. Nec potest ratio humana (ita hoc malum est nobis insitum, illamque infelicem *ἐξω* comparavimus) ex spectro justitiæ activæ seu propriæ evolvere, & attollere sese ad conspectum justitiæ passivæ seu Christianæ, sed simpliciter hæret in activâ. Atque istas cogitationes, abutens naturæ infirmitate, auget & urget Satan. Tum aliter fieri non potest, quin magis trepidet, confundatur & perterrefiat conscientia. Impossibile enim est, ut mens humana ex se concipiat consolationem, & spectet solam Gratiam, in sensu ac terrore peccati, aut ut constanter rejiciat disputationem operum &c. Hoc enim fitum est extra vires, cogitationes ac captum hominum, adeoque etiam extra Legem Dei.

XV. Sicut terra pluviam non gignit, nec ullis viribus acquirere potest, ita sine nostro opere & merito donatur nobis divinitus cœlestis justitia. Et sicut terra non profert fructus, nisi prius irrigata & fœcundata è cœlo; ita nisi prius sine nostro opere & merito justificati simus per justitiam Christianam, multa faciendo nihil facimus. Hanc cum intus habeo, descendo de cœlo, tanquam pluvia fœcundans terram: hoc est, prodeò foras, & facio bona opera, quæcunque mihi occurrunt.

XVI. Utrumq; manet, dum hîc vivimus: Caro accusatur, exercetur tentationibus, contristatur & conteritur justitiâ activâ Legis: sed spiritus regnat, lætatur & salvatur passivâ justitiâ.

XVII. Qui justificationem coram Deo statuunt in justitiâ internâ, specie & nomine tantum variant opera, res tamen manet eadem.

XIIX. Distinctio Legis & Christi est quidem dictu facilis,  
A 3 sed

sed experientia & usu est omnium difficillima, quia in hora mortis & aliis agonibus conscientiae propius concurrunt hae duae iustitiae, quam tu optes aut velis.

XIX. Diabolus solet etiam opponere locos ex Evangelio, quibus Christus ipse exigit à nobis opera, & comminatur manifestis verbis interitum iis, qui ea non fecerunt. Si hic ignoraverimus discernere inter has duas iustitias, tum sumus sub lege, non sub gratia, & Christus non amplius Salvator, sed Legislator est.

XX. De doctrina Evangelica, quae posita est longè supra & ultra Legem, impossibile est hominem carnalem posse iudicare.

XXI. Quicumque certò novit Christum esse iustitiam suam, is non solum ex animo & cum gaudio benè operatur in vocatione sua, sed subjicit se quoque per charitatem Magistratibus, etiam impiis legibus eorum, (quatenus obsequium non pugnat cum lege Dei) & omnibus praesentis vitae, si res ita postulet, oneribus atque periculis: quia scit Deum hoc velle, & ei placere hanc obedientiam.

---

## EXERCITATIO SECUNDA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. I.

**I**N prioribus duobus capitibus ferè nihil aliud agit Paulus, quàm quòd commendet suam vocationem, ministerium & suum Evangelium, quod non sit humanum, neque illud ab homine acceperit, sed per revelationem JESU Christi. Item, si ipse aut etiam Angelus è cælo aliud Evangelium prædicet, præter id, quod prædicaverit, Anathema sit.

II. Divina vocatio est duplex: altera mediata, altera immediata. Mediata est, quae per hominem fit, & tamen divina est. Tit. i. Est igitur non contemnenda vocatio: neq; enim satis est habere Verbum & puram doctrinam: oportet etiam, ut



ut Vocatio certa sit, sine qua qui ingreditur, ad maestandum & perdendum venit. Nunquam enim fortunat Deus laborem eorum, qui non sunt vocati. Et quanquam quaedam salutaria afferant, tamen nihil ædificant.

III. Paulus vocat Ecclesias Galatiæ per Synecdochen, cujus usus in Scripturis est frequentissimus. Ecclesia est per totum orbem terrarum, ubicunque est Evangelium & Sacramenta. Hæc polluuntur quidem & sanctificantur coram gentibus, nostra mala aut bona conversatione, malis aut bonis moribus, sed non coram Deo.

IV. Duo vocabula, Gratia & pax, totum Christianismum complectuntur. Gratia, remissionem peccatorum; pax, tranquillam & lætam conscientiam. Paulus, in omnibus salutationibus Epistolarum suarum, opponit peccato & malæ conscientiæ, Gratiam & Pacem. Alia est gratia & pax mundi, alia verò gratia & pax Dei.

V. Abstinentium à speculatione Majestatis. Quotquot ignorant Articulum justificationis, tollunt e medio Christum propitiatorem, Deum in suâ majestate, judicio rationis apprehendere, & operibus placere volunt.

VI. Oportet nos dare operam, ut fides nostra certa sit in omnibus Articulis fidei, diligentique & assiduâ tractatione verbi & invocatione crescat & confirmetur, ut Satanæ resistere possimus.

VII. Cùm Christo tribuantur opera divina, dare gratiam & pacem, necesse est eum esse naturâ Deum, quia isthæc non creaturæ, sed Creatoris sunt.

VIII. Definitio Christi vera est, quòd sit filius Dei ac virginis, traditus & mortuus pro peccatis nostris.

IX. Ipsa pretii magnitudo, nempe Christus filius Dei, qui se ipsum tradidit propter peccata nostra, satis declarat, nos non posse satisfacere, neque dominari peccato; sed tantam vim & potentiam esse peccati, ut nullo opere deleri potuerit.

X. Tota vis in hoc consistit, ut aliquis bene applicet Pronomina,

nomina, quæ in sacris literis frequentissime occurrunt, quibus etiam semper magna emphasis & epitas inest.

XI. Paulus rectè vocat mundum nequam, quia tunc est pessimus, cum est optimus. In religiosis, sapientibus & doctis &c. mundus est optimus, revera tamen dupliciter malus, pugnans contra primam tabulam.

XII. Exemplum Pauli & nos imitari debemus, ut erga miseros & seductos discipulos sic affecti simus, ut parentes erga liberos, ut intelligant, zelum nostrum paternum & affectum maternum erga sese, videantque nos quærere non ipsorum perniciem, sed salutem.

XIII. Doctrina Evangelii affert omnia bona, spiritualia & corporalia, nempe remissionem peccatorum, veram justitiam, pacem cordis & vitam æternam. Deinde affert lucem & iudicium certum de omnibus doctrinis & vitæ generibus; approbat & confirmat Politiam, Oeconomiam, & omnia vitæ genera, quæ divinitus instituta & ordinata sunt. Extirpat doctrinas erroris, seditiones, confusiones &c. eximit terrorem peccati & mortis; in summa omnes insidias & opera Diaboli detegit, & Dei beneficia ac amorem erga nos in Christo aperit.

XIV. Nullus hæreticus venit sub titulo erroris & Satanæ: nec Diabolus ipse venit ut Diabolus, præsertim candidus ille: imò ater etiam Diabolus, ad manifesta flagitia impellens, operculum facit homini, ut peccatum quod commissurus est, vel committit, extenuet. Homicida non videt in furore, tam grande & horrendum peccatum esse homicidium, ut revera est, quia habet operculum. Adulteri, fures, avari, ebriosi &c. habent suas blanditias & opercula. Ita Satan etiam ater in omnibus operibus, & consiliis suis prodit personatus & fucatus. At in spiritualibus, ubi non ater, sed candidus angelicâ & divinâ specie prodit Satan, ibi callidissimâ disimulatione, ibi miris artificiis fallendi vincit seipsum, suumque nocentissimum venenum venditare solet pro doctrinâ gratiæ, pro verbo DEI, pro Evangelio Christi.

XV. Si

XV. Si non potes credere, quòd Deus propter Christum, quem ad hoc misit in mundum, ut esset noster Pontifex, velit remittere peccata; quomodo quæso credes, quod velit remittere illa propter opera legis, quæ nunquam fecisti, aut tua opera, quæ cogaris fateri talia esse, ut impossibile sit ea opponi iudicio Dei;

XVI. Apparet res levis esse, commiscere Evangelium & Legem, fidem & opera, sed plus damni affert, quàm humanus captus assequi potest. Nam non solum obscurat cognitionem gratiæ, sed Christum cum omnibus suis beneficiis tollit, & totum Evangelium evertit. Hujus tanti mali causa est ratio nostra, quæ peccatis immerfa, non videt aliam rationem, quâ sese explicet his, quàm per opera.

XVII. Causa justificationis, quantum ad nos attinet, res valde lubrica est, quia nos lubrici sumus. Cùm in præsentì agone uti debemus Ëvangelio, quod verbum est Gratiæ, consolationis & vitæ; ibi lex, verbum iræ, tristitiæ & mortis prævenit Evangelium, & incipit tumultuari, & non minores terrores excitat in conscientiâ, quam terrificam illam & horribilem speciem in monte Sinai. Sic ut vel unus locus cõminationis ex Scripturâ omnes obruat & obnubilet consolationes, adeoque omnia interiora nostra concutiat, ut planè obliviscamur causæ justificationis, Gratiæ, Christi & Evangelii. Deinde dimidium nostri, nempe ipsam rationem, & vires rationis, habemus contrarias nobis. Resistit insuper spiritui caro, quæ non potest certò statuere promissa DEI vera esse: ideò pugnat & militat contra spiritum, & ut Paulus ait, captivat spiritum, ut tam firmiter credere non possit, ac velit. Quare perpetuò inculcamus, cognitionem Christi & fidem non esse rem aut opus humanum, sed simpliciter donum DEI, qui ut creat, ita conservat fidem in nobis. Sicut autem per verbum fidem primùm donat, ita deinceps per verbum exercet, auget, confirmat & perficit eam. Itaque summus DEI cultus, & sabbatum sabbatorum est, exercere sese ad pietatem,

rem, tractare & audire verbum. E contrario nihil periculo-  
sius est, quàm fastidium verbi. Utamur ergo humilioratio-  
ne coram Deo, & assiduo studio ac meditatione verbi. Et  
quanquam vehementissimè decertaverimus, adhuc satis ta-  
men sudabimus. Facile quidem dixeris, Evangelium nihil  
aliud esse, quàm revelationem Filii Dei, quàm cognitionem  
Jesu Christi, non esse revelationem aut cognitionem Legis:  
Sed in agone conscientiae, & in ipsa praxi hoc certò statu-  
ere, est difficile etiam exercitatisimis.

XVIII. Initio meae causae D. Staupitius; Hoc mihi, in-  
quit, placet, quòd haec doctrina, quam praedicas, gloriam &  
omnia soli DEO tribuit, hominibus nihil. DEO autem (id  
quod luce clarius est) nimium gloriae, bonitatis &c. attribui  
non potest.

## EXERCITATIO TERTIA

*Ex Comment. LUTHERI in Cap. II.*

I.

**C**um per solum auditum fidei Spiritus S. ceciderit  
visibili signo super credentes incircumcisos, certis-  
simum est, quòd hoc signo approbârit Spiritus San-  
ctus fidem gentium. Id enim nunquam antea com-  
pertum est accidisse ad praedicationem Legis. Hoc erat  
Pauli & Barnabae argumentum.

II. Non fuit mirum, Judaeos tanto studio ac zelo pro Le-  
ge sua, quam divinitus acceperant, dimicasse. Tanta vis  
est consuetudinis, quae naturam per se inclinatum ad Le-  
gem, ita confirmat, ut accedente consuetudine, longo tem-  
pore & usu confirmata, fiat duplex natura. Ideò impossi-  
bile fuit Judaeis, ad Christum conversis, statim deserere Le-  
gem. Et hanc illorum infirmitatem tolerabat interim De-  
us, donec doctrina Evangelii à Lege pure discerneretur.  
Quin & nostram infirmitatem sub Papatu tulit: Est enim  
patiens & multum misericors. Sed hanc bonitate Dei non de-  
bemus

lo- bimus abuti, nec in infirmitate & errore perseverare, cum  
io- per Lucem Evangelii veritas revelatur.

Et III. Collatio Hierosolymis & conclusio hæc erat: Circum-  
ta- cisio non imponatur gentibus, permittatur tamen ad tem-  
hil- pus Judæis, non quidem ut necessaria ad justitiam, sed pro-  
em- pter reverentiam Patrum: deinde etiam propter charita-  
gis- tem, ne infirmi offendantur, donec in fide confirmantur. In  
tu- summa, quod nemo deberet cogi ad circumcissionem, nec  
in- quisquam vi à circumcissione retrahi. Sic medium & Epikia  
& inventa est.

IV. Potuisset permittere Paulus, ut circumcideretur Ti-  
id- tus, tamen, quia videbat se cogi ad hoc, nolebat. Nam si ob-  
oui- tinuissent hoc, qui urgebant circumcissionem, statim inde  
collegissent, eam esse necessariam ad justificationem, atque  
ita ex permissione istâ regnâssent. Sic nos relinquimus cui-  
que liberum, induere vel exuere cucullum, ingredi vel de-  
ferere monasterium, carnibus aut oleribus vesci, modò ista  
liberè & citra offensionem conscientiæ, aut certè in obse-  
quium fratris, aut exemplum charitatis, non fidei faciat, sci-  
atque hæc omnia nihil valere ad satisfaciendum pro pecca-  
tis, & ad promerendam gratiam &c.

V. Fides per se est donum Dei, & opus divinum in corde,  
quod ideò justificat, quia apprehendit ipsum Christum Sal-  
vatores. Ratio humana objectum habet Legem, hoc feci,  
hoc non feci. Fides autem, *quando in proprio suo officio est*, nul-  
lum prorsus aliud objectum habet, quàm Jesum Christum  
filium Dei, traditum pro peccatis totiù mundi. Non respicit cha-  
ritatem, non dicit: quid feci? quid peccavi? quid merui? sed,  
quid fecit Christus? quid ille meruit? Ibi veritas Evangelii  
dicit; Redemit de peccato, diabolo, morte æternâ. Is princi-  
palis est doctrinæ Christianæ articulus, in quo cognitio to-  
tius pietatis consistit. Ideò maximè refert, eum benè scire  
& perpetuò inculcare. Nam ut tenerrimus est, ita facillimè  
læditur. Hoc benè expertus est Paulus, hoc quoq; experi-  
untur omnes pii.

VI. Hie-

VI. Hieronymus putavit esse quæstionem & disputationem de ipsis rebus: in hoc erravit: est de additamento, hoc est, de usu rerum. In usu rerum, non in rebus ipsis vis sita est.

VII. Animalis homo non potest, solus spiritualis discernit Personam à Verbo, larvam divinam ab ipso Deo. Est autem larva Dei tota creatura. Insuper non agit Deus nobiscum in hac vita facie ad faciem, sed velatus & larvâ indutus, hoc est, ut Paulus ait, videmus eum nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ideò non possumus carere larvis, sed prudentia requiritur, quæ Deum à larva discernat, hanc mundus non habet. Sic Magistratus, Imperator, rex, princeps, consul, doctor, concionator, præceptor, discipulus, pater, mater, liberi, herus, servus &c. sunt personæ seu larvæ, quas Deus pro suis creaturis agnosci & religiosè coli vult, quas etiam oportet in hac vita esse; sed non vult, ut tribuamus eis divinitatem, hoc est, ut timeamus & revereamur eas, ipsis fidamus & sui obliviscamur. Utque DEUS eò facilius nos retraheret ab admiratione Personarum, relinquit in eis peccata & lapsus, & eos quidem magnos & turpes, qui nos admonerent, ut inter personam & Deum ipsum discernereamus.

VIII. Oportet hanc distinctionem diligenter servari, quòd longè aliter loquamur de rebus in Theologia, quàm in Politiâ. In Politiâ vult Deus honorem haberi istis personis, tanquam suis larvis & instrumentis, per quæ regit & conservat mundum. Sed quando pervenitur ad religionem conscientiam, timores, fiduciam, cultum, nemo timendus aut colendus est cum offensione divinæ Majestatis. Si est quæstio extra religionem, extra Deum, in hoc circulo vult Deus servari ordinem, reverentiam & differentiam personarum, ne fiat confusio: alioqui filius, discipulus, subditus, servus, diceret; Ego æquè sum Christianus, atque Pater, præceptor, princeps, herus &c. meus, cur igitur ei honorem haberem? Coram DEO igitur cessat omnis personatus, ibi neque

Græcus

Græcus neque Judæus, sed omnes unum sunt in Christo; non item coram mundo &c. Sic solvit Paulus Pseudoapostolorum argumentum de autoritate Apostolorum, dicens, intempestivum esse nec in hoc loco valere, ideo ad propositum non pertinere; quia hîc de re longè magis ardua, quàm de personarum respectu agatur, nempe de re divina, de D E O, de verbo Dei.

IX. Appellat Paulus præputium Gentes, circumcisionem Judæos, per Synecdochen, tropum in sacris literis usitatissimum, cum videlicet totum parte comprehenditur.

X. Ebræi constructionem genitivi variè accipiunt, jam activè, jam passivè. Id quod sæpe obscurare solet sententiam. Exempla passim obvia sunt in Paulo & tota Scriptura. Ut hæc oratio, Gloria Dei, non nihil est obscura, quia activè & passivè exponi potest. Gloria Dei activè, qua Deus in se gloriatur; Passivè, qua nos in Deo gloriamur. Sic fides Christi &c. Nos plerumque tales sententias passivè exponimus, ut Christi fides est, qua Christus creditur. Sic Evangelium Dei activè vocatur, quod solus Deus dat & mittit in mundum. Evangelium præputii & circumcisionis passivè, quod ad Gentes & Judæos missum, & ab ipsis receptum est.

XI. Errores & peccata Sanctorum proponit Scriptura in consolationem afflictorum & desperabundorum, & in terrorem superbiorum. Nemo unquam tam graviter lapsus est, qui non possit resurgere. E contra nemo tam firmiter fixit pedem, qui non possit labi. Si Petrus lapsus est, & ego labi possum, si resurrexit, possum & ego resurgere.

XII. Est quidem Ecclesia Sancta, ut fides nostra confiteatur: Credo Ecclesiam sanctam &c. & tamen peccatum habet. Hinc credit remissionem peccatorum, & orat, Remitte nobis debita nostra. Quare non dicitur formaliter sancta, ut paries albus ab albedine inhærente. Inhærens illa sanctitas non est satis, sed Christus est perfecta & tota sanctitas ipsius: ubi illa inhærens non est satis, satis est Christus.

XIII. Si quis vellet peccatum Petri exagitare & amplificare, esset maximum, & tamen occasione tantum & metu, non malitiâ aut ignorantia commissum. Tam facile ingentes ruinas trahit secum unius lapsus aut erratum, si non corrigatur. Peccatum Petri fuit simulatio (qui simulat, non peccat ignorantia, sed sciens fallit aliâ specie, quam verâ) quæ futura fuisset occasio ruinæ recepti Evangelii, nisi Paulus se opposuisset Petro. Miranda res est, quod Deus recentem Ecclesiam & ipsum Evangelium per unicam personam tum conservaverit. Solus Paulus stat, Barnabam enim socium amisit, Petrum contra se habet. Sic quandoque una persona in Concilio plus valere potest, quam totum Concilium. Id quod Papistæ ipsi scribunt, & pro exemplo allegant Paphnutium, qui toti Concilio Niceno, quod optimum fuit post illud Apostolorum in Hierosolymis, restitit & prævaluit.

---

## EXERCITATIO QUARTA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. II.

XIV.

**N**ihil fortius adversatur fidei, quam Lex & ratio, neque illa duo sine magno conatu, & labore superari possunt, quæ tamen superanda sunt, si modò salvari velis.

XV. Simulabant unâ cum Petro Barnabas & alii Judæi, qui omnes peccaverunt, non quidem ignorantia & malitiâ, sed Judæorum metu, qui offuderat cordi ipsorum nebulas, ut non viderent, se peccare. Profectò autem mira res est, quod tanti viri, Petrus, Barnabas & alii, tam citò & facile labuntur in illo ipso opere, quod noverant rectè factum, ac antea docuerant. Ideò rectè admonebat D. Staupitius, periculosum esse nostris viribus confidere, etiamsi sancti & doctissimi simus, etiamsi aliquid benè cognitum & percognitum habeamus. Nam in illo ipso, quod optimè scimus, possumus



sumus tamen labi & errare, non solum in grave nostrum, sed etiam aliorum damnum. Versemur igitur summa diligentia & humilitate in studio sacrarum literarum, ac seriorum, ne veritatem Evangelii amittamus. Nihil igitur sumus cum omnibus quantumvis magnis donis, nisi Deus adsit. Is ubi relinquit nos nobis, nihil est nostra sapientia, scientia &c. Nisi ipse nos assiduo sustentet, nihil prodest summa cognitio & ipsissima Theologia. Nam sub horam tentationis subito fieri potest, ut astu Diaboli eripiantur nobis e conspectu omnes loci consolatorii, ac solum comminatorii occurrant, ac obruant nos. Discamus igitur, Deo subtrahente manum, facillime posse nos labi ac everti. Itaque nemo superbiat & gloriatur de justitia, sapientia & donis suis, sed humilietur ac oret cum Apostolis: Domine adauge nobis fidem!

XVI. Magna res est, Petrum accusari à Paulo, ut eum, qui lapsus sit & à veritate Evangelii declinaverit; & tamen patienter hoc fert, & haud dudie cum magna gratitudine accipit.

XVII. Multi habent Evangelium, sed non veritatem Evangelii. Petrus, Barnabas & alii habebant quidem Evangelium, non autem recte in eo ambulabant. Ut maxime enim Evangelium prædicabant, tamen suam simulatione, quæ cum veritate Evangelii stare non poterat, legem statuebant: statueri autem legem, est Evangelium abrogare & evertere.

XIIX. Qui bene novit discernere Evangelium à Lege, gratias agat Deo, & sciat se esse Theologum. Ego certe in tentatione nondum novi, ut deberem. Sic autem discernenda sunt, ut tam diligenter distinguas justitiam Evangelii à Legis justitia, quam diligenter distinxit Deus cælum à terrâ. Conscientia perterrefacta sensu peccati, sic cogitet: Jam agis in terrâ, ibi asinus laboret, serviat & portet onus sibi impositum, hoc est, corpus sit cum membris suis legi subjectum. Cùm autem ascendit Conscientia in cælum seu montem

umc

cum Isaac, relinque asinum cum sarcinâ in terrâ, nihil penitus sciens de lege & operibus, sed tantum spectans remissionem peccatorum & meram justitiam in Christum propositam & donatum. Lex manebit extra cœlum, hoc est, extra cor seu conscientiam: è contra libertas Evangelica manebit extra terram, hoc est, extra corpus & membra ipsius. Quam primum igitur Lex & peccatum veniunt in cœlum, id est, in conscientiam, protinus hinc ejiciantur. Quia conscientia perterrefacta metu iræ & iudicii Dei, nihil de lege & peccato scire debet, sed tantum de Christo. Et vicissim cum gratia, libertas &c. venit in terram, hoc est in corpus, dicitur, Tu non debes versari in harâ & sordibus corporalis vitæ, sed sursum pertines in cœlum &c. Istam Legis & Evangelii distinctionem Petrus simulatione suâ confuderat. Papa non solum miscuit Legem cum Evangelio, sed meras leges, & eas tantum ceremoniales, ex Evangelio fecit, confudit Politica & Ecclesiastica, quæ verè Satanica, & infernalis confusio est. Si autem optimum, quod mundus habet in terris (scilicet Lex, quæ ceu sol quidam lumini terreno seu faci humanæ, infirmæ tamen (rationi) additus est, ut eam illuminet & dirigat) non potest justificare, quid quæso faceret ratio sine Lege?

XIX. Locus de discrimine Legis & Evangelii scitu necessarius est, quia continet summam totius Christianæ doctrinæ. Ideò quisque studiosus pietatis diligenter det operam, ut discat ista discernere, non tantum verbis, sed etiam ipso affectu & experientia, hoc est, in corde & conscientia. Alioqui quantum ad verba attinet, facilis est illorum distinctio. Sed in tentatione senties Evangelium rarum, & è contra Legem, assiduum esse hospitem in conscientia.

XX. Petrus exemplo suo cogit gentes deficere à Christo ad legem, quia præbet eis occasionem sic cogitandi: Fides sola non justificat, sed simul requiruntur lex & opera. Itaque hoc factò non solum offendit puritatem doctrinæ, sed etiam

iam veritatem fidei & iustitiæ Christianæ. Nam hoc errore stante, Christus est otiosus.

XXI. Significat opus legis Paulo, opus totius legis, sive ceremonialis sive decalogi. Si autem opus Decalogi non iustificat, multò minùs Circumcisio, quæ est opus ceremonialis legis. Possunt autem opera legis fieri aut ante iustificationem, aut post iustificationem. Ante iustificationem multi boni viri, etiam inter gentiles, præstiterunt Legem & fecerunt egregia opera, & per ea tamen non sunt iustificati. Post iustificationem faciunt opera Legis Christiani, sed per ea non iustificantur. Nihil mihi conscius sum, inquit Paulus, sed per hoc non iustificatus sum.

XXII. Peccatum mortale non tantùm intelligendum est de opere externo, commisso contra legem, ut est homicidium, furtum &c. Sed etiam ignorantia, odium, contemtus Dei in corde, ingratitude, murmuratio contra Deum, aversari voluntatem Dei, carnem nihil posse cogitare, loqui & facere nisi contra Deum, pro Diabolo.

XXIII. Deus est, qui sua dona gratis largitur omnibus, eaque est laus divinitatis ipsius. Sed hanc suam divinitatem non potest defendere contra iustitiosos, qui gratiam & vitam æternam non volunt gratis accipere ab eo, sed illa mereri suis operibus: ideò simpliciter volunt ei adimere gloriam divinitatis. Ut ergò hanc retinere possit, legem præmittere cogitur, quæ terreat & conterat, quasi fulmen & tonitru quoddam cœleste illas durissimas petras.

XXIV. Vera fides est quædam certa fiducia cordis & firmus assensus, quo Christus apprehenditur. Ita ut Christus sit objectum fidei, imò non objectum, sed ut sic dicam, in ipsa fide Christus adest. Fides ergò est cognitio quædam vel tenebra, quæ nihil videt, & tamen in istis tenebris Christus fide apprehensus sedet: sicut Deus in Sinai & in templo sedebat in medio tenebrarum.

XXV. Valde necessaria est acceptatio seu reputatio ad

C

justi-

justificandum: i. quia nondum sumus perfectè justi, sed in hâc vita hæret adhuc peccatum in carne, quod purgat in nobis Deus. Deinde relinquimur etiam quandoque à Spiritu Sancto, & labimur in peccata, ut Petrus, David, & alii Sancti. Habemus tamen semper regressum ad istum articulum.

XXVI. Hæc verè sunt bona opera, quæ fluunt ex ista fide & hilaritate cordis concepta, quòd gratis habemus remissionem peccatorum per Christum. Quicquid postea crucis & passionum ferendum venit, toleratur suaviter.

XXVII. Christianus est, non qui non habet aut non sentit peccatum, sed cui illud à Deo propter fidem in Christum non imputatur. Item qui liber est ab omni lege, sed in quantum Christianus.

XXVIII. Significat Paulo caro summam justitiam, sapientiam, cultum, religionem, intellectum, voluntatem, quanta potest esse in homine animali. Quicquid est in voluntate nostra, est malum, quicquid est in intellectu nostro, est error. Ideò homo in rebus divinis nihil habet, quàm tenebras, errores, malitias & perversitates voluntatis & intellectus.

XXIX. Peccati vera cognitio (non illa speculativa hypocritarum, sed vera, in qua cernitur ira Dei contra peccatum, & vere sentitur gustus mortis) per terrefacit corda, adigit ad desperationem & occidit. Rom. 7. Nam officium Legis proprium est, nos ducere ex tabernaculis nostris, id est, ex pace & fiducia nostri, & constituere nos in conspectum Dei & revelare nobis iram ejus. Christi officium, liberare à peccatis & morte.

XXX. Paulus non negat se vivere in carne, quia facit omnia opera animalis hominis. Deinde utitur etiam rebus carnalibus, victu, vestitu &c. sed negat se vivere ex carne vel secundum carnem, verum in fide, ex fide & secundum fidem. Verbum quod corporaliter loquor, est ver-

verbum non carnis, sed Spiritus Sancti & Christi. Iste visus, qui ingreditur vel egreditur ex oculis, non venit ex carne, hoc est, caro mea non regit eum, sed Spiritus Sanctus. Ita auditus non ex carne, licet in carne sit, sed in & ex Spiritu Sancto est. Christianus non loquitur nisi casta, sobria, sancta ac divina, quæ pertinent ad Christum, ad gloriam Dei, & ad salutem proximi. Sum in carne: non enim possum docere, scribere, nisi istis instrumentis carnis, quæ requiruntur ad talia opera perficienda: & tamen ea non veniunt ex carne, neque fiunt secundum carnem, neque in ea nascuntur, sed donantur & revelantur e cælo divinitus. Sic Christianus utitur mundo & omnibus creaturis, ut nulla differentia sit inter ipsum & impium: nihilominus tamen est maxima differentia. Hoc quod jam audis me loqui, ex alio fonte proficiscitur, quàm quod antea audisti me loqui. Ex his intelligi potest, unde veniat illa aliena & spiritualis vita, quam animalis homo non percipit. Nescit enim, qualis hæc sit vita, ventum quidem audit sonantem, sed unde veniat, aut quo vadat, nescit. Audit vocem spiritualis hominis, agnoscit faciem, mores & gestus ejus: sed unde illa verba, non sacrilega & blasphema, ut antea, sed sancta & divina, unde illi motus & actiones veniant, non videt. Quia illa vita est in corde per fidem, ubi extincta carne regnat Christus cum suo Spiritu Sancto, qui jam videt, audit, loquitur, operatur, patitur, & simpliciter omnia agit in ipso, etiamsi caro reluctetur. Breviter, ista vita non est carnis, licet sit in carne, sed Christi filii Dei, quem fide possidet Christianus.

## EXERCITATIO QUINTA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. III.

I.

**P**Aulus solitudine Apostolicâ, zelo & affectu spiritualissimo ardet, & inter disputandum ac confutandum

dum inserit exhortationes & objurgationes, juxta suam regulam. 2. Tim. IV. Prædica verbum, in sta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa. Ea res imponit incauto lectori, ut putet, Paulum planè nullam servare methodum aut ordinem in docendo. More quidem Rhetorum non servat, in spiritu tamen pulcherrimum ordinem servat.

II. Ex Christiano zelo licet Apostolo, pastori aut doctori acriter increpare populum, cui præest. Talesque objurgationes paternæ & sanctæ sunt. Idem verè opus & verbum in ore Pauli est benignum, in ore alterius, æqualis vel inimici, est maleficium & contumelia.

III. In Ecclesiis & Christianis remanent adhuc secundum carnem vitia naturalia. Gratia non sic mutat pios, ut statim per omnia reddat novos & perfectos, sed relinquuntur adhuc in piis reliquiæ veteris vitii naturalis. Multa quidem purgantur, præcipuè autem ipsum caput serpentis, hoc est, incredulitas & ignorantia Dei, præciditur & conteritur, sed squamosum corpus & reliquiæ peccati manent in nobis. Ideò nemo præsumat accepta jam fide, se in totum statim transmutari posse in novum hominem: nam caro quæ nondum est pura, concupiscit adversus spiritum Gal. Naturalia vitia ante fidem, manent & post fidem acceptam, nisi quòd jam servire coguntur spiritui, qui eis dominatur, nè regnent, non tamen sine luctâ.

IV. Paulus fascino sensuum applicat ad fascino spiritûs. Spirituali fascino non sensus, sed mentes hominum serpens ille antiquus capit & fallit falsis & impiis opinionibus, quas hoc modo capti pro veris & piis apprehendunt. Quod foris cum speciebus & coloribus in sensu, hoc intus cum opinionibus verisimilibus & objectis doctrinæ facit. Tanta est istius fascinatoris nocendi cupido, ut non solùm illis spiritibus securis & superbis imponat præstigiis suis, sed conatur eos etiam, qui piè & rectè de  
verbo

verbo Dei & Christianâ religione sentiunt, suis ludibriis dementare. Summa, nemo nostrum est, qui non sæpius falsis opinionibus fascinetur, hoc est, qui non timeat, fidat, aut lætetur, ubi non erat timendum, fidendum, lætandum; qui quandoq; non aliter sentiat de Deo, de Christo, de fide, de vocatione suâ, de statu Christiano &c. quàm sentire debeat. Tanta etiam est efficacia illusionis Satanæ in illis, qui ita delusi sunt; ut jactent & jurent se certissimam veritatem habere, tantum abest, ut fateantur se errare. Incedendum ergò in timore & humilitate, neque præsumendum de sapientia, justitia, doctrina & fortitudine, sed de virtute Christi, qui cum sit potens per infirmos, invocandus est, ne sinat nos induci in tentationem.

V. Ad justificationem non sunt aliæ, quàm istæ duæ viæ, vel verbum Evangelii, vel Legis. Quare lex accipitur universaliter, ut planè diversa & distincta ab Evangelio: non tantum autem lex ceremoniarum distincta est ab Evangelio, sed etiam decalogus.

VI. Totus liber Actorum Apostolicorum nihil aliud agit, quam quòd docet ex Legge non dari Spiritum Sanctum, sed ex auditu Evangelii; oportere tam Judæos quàm Gentes, tam justos, quàm peccatores, sola fide in Christum Jesum justificari, sine Legge & operibus.

VII. Cum audis vel legis in Actis, aut ubicunque tandem in Scripturis, vocabulum Gentium, scias non naturaliter, sed theologice illud sumi debere, pro iis hominibus, qui non sunt sub Legge, sicut Judæi, sed sine Legge.

VIII. Lex & Evangelium duæ prorsus contrariæ doctrinæ sunt. Nam Moses cum sua lege est exactor, postulans ut nos operemur & demus, in summa, exigit à nobis. Contra Evangelium non exigit, sed donat gratis, & jubet nos porrectis manibus oblata accipere. Differunt autem per contrarium, exigere & donare, accipere & offerre, nec simul possunt existere.

IX. Distinguendum inter fidem in venturum Christum, & in Christum jam exhibitum. Quare si etiam mortuus fuisset Cornelius ante revelatum Christum, non damnatus fuisset; quia fidem Patrum habebat, qui sola fide futuri Christi salvati sunt. Act. 15. Mansit ergo gentilis, incircumciscus, sine lege; coluit tamen eundem Deum, quem Patres, fide in venturum Messiam. Nam justum & timentem Dei esse, affectus sunt non hominis gentilis aut naturalis, sed spiritualis, qui jam fidem habet. Sed quia jam venerat Messias, necesse erat, ei significari per Apostolum Petrum, quod non esset expectandus, sed jam venisset. Transfertur ex fide venturi, in fidem Christi jam exhibiti.

X. Adversarii existimant, fidem omninò rem levem & nihil esse, per quam Spiritus concipitur; sed quam difficilis & ardua res sit, experior ego (inquit Lutherus) & omnes, qui mecum seriò amplectuntur eam.

XI. Spiritus est, quicquid in nobis geritur per Spiritum. Caro, quicquid in nobis geritur secundum carnem extra Spiritum. Quare omnia officia Christianorum, ut diligere uxorem, alere liberos, regere familiam, honore afficere parentes, obedire magistratui &c. quæ ipsis secularia & carnalia sunt, sunt fructus Spiritus. Non distinguunt homines cœci res, quæ bonæ creaturæ Dei sunt, à vitiis.

XII. Secundum illud Apostoli, Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute, Galatæ hujusmodi Spiritum ex Evangelio acceperant. Virtus autem est, non solum, posse loqui de regno Dei, sed etiam re ipsa ostendere, quod Deus sit efficax per Spiritum suum in nobis. Cum igitur Concionator sic prædicat, ut verbum non frustretur suis fructibus, sed efficax sit in auditoribus, hoc est, cum sequitur fides, spes, charitas, patientia &c. ibi Deus subministrat Spiritum, & operatur virtutes in auditoribus. Ex eadem



dem virtute facti erant ex avaris, adulteris, iracundis, impatientibus, hostibus &c. largi, casti, mites, patientes, amantes proximorum.

XIII. Tribuere Deo gloriam est credere ei, est reputare eum esse veracem, sapientem, justum, misericordem, omnipotentem: in summa, agnoscere eum autorem & largitorem omnis boni. Ideoque illam gloriam posse tribuere Deo est sapientia sapientiarum, justitia justitiarum, religio religionum & sacrificium sacrificiorum. Ratio non intelligit, audire verbum Dei & credere, summum cultum esse, sed ea, quæ ipsa eligit & facit, bona, ut vocant, intentione & propria devotione, sentit Deo placere. Contra Fides rationem mactat & occidit illam bestiam, quam totus mundus & omnes creaturæ occidere non possunt, hostem Dei omnium maximum & invictissimum. Quia ratio contemnit Deum, negat ejus sapientiam, justitiam, virtutem, veritatem, misericordiam, majestatem & divinitatem. Per illud autem sacrificium pii tribuunt Deo gloriam, hoc est, credunt eum esse justum, bonum &c.

XIV. Ratio tota non occiditur in hac vitâ, quod hinc apparet, quia in nobis reliqua est adhuc concupiscentia, ira, impatientia, & alii fructus carnis ac infidelitatis. Item perfectiores etiam Sancti, non habent plenum & perpetuum gaudium in Deo, sed variè affecti sunt, jam tristes, jam læti: ut de Prophetis & Apostolis Scriptura testatur. Sed talia errata non imputantur eis propter fidem in Christum, alioqui nemo salvus fieret.

XV. Sophistæ non considerant immundiciem & internas pestes cordis, incredulitatem, dubitationem, contemptum & odium Dei, quæ capitales bestię fontes & causę sunt omnium malorum. Sola externa & crassa illa vitia & injustitias, quæ rivuli sunt, procedentes ex illis fontibus, considerant. Hinc tribuunt acceptationem operibus, quod videlicet Deus acceptet opera, non quidem ex debito,

debito, sed ex congruo. Contrà nos exclusis omnibus operibus, rem gerimus cum capitibus hujus bestiae, quae vocatur Ratio, quae est fons fontium omnium malorum. Quae ratio non timet, non diligit Deum, non confidit Deo, sed securè contemnit eum, neque minis neque promissionibus ejus movetur, non delectatur ipsius verbis & factis, sed contra Deum murmurat, irascitur ei, judicat & odit Deum, in summa, inimica est Dei Rom. VIII. non tribuens ei gloriam.

XVI. Christiani non cogitent, se locum de justitia Christiana posse perdiscere. Quare operam dent, ut Paulum saepe & summâ diligentiam legant, relegant, & primis cum postremis, imò Paulum totum cum seipso conferant, tum invenient rem sic se habere, quòd istis duobus constet justitia Christiana, fide quae gloriam tribuit Deo, & imputatione Dei. Fides enim infirma est, ideò oportet imputationem Dei accedere, quòd Deus nolit reliquum peccati imputare propter ipsum Christum.

XVII. Ex his videmus, unumquemque Christianum esse verum sacerdotem. Quia primùm offert & mactat suam rationem & sensum carnis. Deinde tribuit Deo gloriam, quòd fit justus, verax, patiens, miserator & misericors. Hocq; est jure illud sacrificium vespertinum & matutinum in Novo Testamento. Vespertinum, mortificare rationem, Matutinum, glorificare Deum. Sic Christianus quotidie & perpetuò versatur in illo duplici sacrificio & usu ejus.

---

## EXERCITATIO SEXTA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. III.

XVIII.

**A**ccedamus ad ipsum Patriarcham Abraham, & videamus quâ ratione justificatus & salvatus sit. Non certè propter egregias virtutes & sancta opera,  
non

non quia deseruit Patriam, cognationem & domum patris sui, non quia circumcisionem accepit & legem servavit, non quod jubente Deo immolaturus erat filium Isaac, in quo habebat promissionem posteritatis, sed quia credidit Deo. Ergo nullâ prorsus aliâ re justificatus est, nisi fide.

XIX. Objiciat aliquis, ut Judæi: Fidei vocabulum in Ebræo significare veritatem, ergo malè urgeri à nobis. Deinde locum ex cap. Gen. 15. loqui de re corporali, scilicet de promissione posteritatis. Ideò male eum detorqueri à Paulo ad fidem in Christum, sed simpliciter intelligendum esse de fide Abrahæ, quâ credebatur se juxta promissionem Dei habiturum semen. Simili modo cavillari etiam possunt locum, quem Paulus infra ex Habacuc citat, qui loquitur de fide totius visionis implendæ, non de fide tantum in Christum, de quâ Paulus eum allegat. Similiter quoque totum XI caput ad Ebræos de fide & exemplis fidei. Ad primam sic respondeo, Fidem nihil aliud esse, quam veritatem cordis, hoc est, rectam cognitionem cordis de Deo. Rectè autem de Deo cogitat & sentit sola fides, non ratio. Tum autem homo rectè de Deo cogitat, quando credit ipsius verbo. Cùm autem extra verbum, Deum ex ratione suâ metiri & ei credere vult, non habet veritatem de Deo, ideò neque rectè de eo cogitare, neque judicare potest. Igitur veritas est ipsa fides, quæ rectè de Deo judicat, scilicet quòd Deus nostra opera & justitias non respiciat, cum simus imundi, sed quòd velit nostri misereri, nos respicere, acceptare, justificare & salvare, si credamus in filium, quem misit, ut esset propitiatio pro peccatis totius mundi. Illa est vera cogitatio de Deo, & plane nihil aliud quam ipsa fides. Ad alteram cavillationem respondeo. Paulum rectè citare locum ex cap. xv Genes. de fide in Christum. Nam in omni fide debet inesse fiducia misericordiæ erga Deum. Illa  
D  
autem

autem complectitur fidem remissionis peccatorum propter Christum. Nam impossibile est conscientiam expectare aliquid à Deo, nisi primum statuat, sibi Deum probatum esse propter Christum. Ideo omnes promissiones referendæ sunt ad primam illam de Christo Gen. 3. semen mulieris conteret &c. Ita etiam Prophetæ intellexerunt & exposuerunt. Hinc fides Patrum in veteri Testamento, & nostra jam in novo eadem est, licet alia atque alia externa objecta accedant. Act. 15. 1. Cor. 10. Joh. 8. Diversa tempora non mutant fidem, Spiritum sanctum, dona. Omnes præteritæ promissiones inclusæ fuerunt in Christum venturum.

XX. Paulus facit duos Abraham, generantem & credentem. Abraham habet filios, & est pater multarum gentium. Ubi? coram Deo, ubi credit, non coram mundo, ubi generat.

XXI. In Baptismo est promissio salutis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur. Hic si aliquis negaret infanti, cum primum baptizatur, donari iustitiam & salutem, elusa ad hunc modum promissione; quod ea tum valeret, cum homo ad usum rationis pervenisset, & jam bene operari posset, & bene operando hoc consequi, quod in promissione proponitur: item, baptismum non esse signum voluntatis Dei erga nos, sed tantum notam, quæ discernit fideles ab infidelibus &c. is planè detraheret Baptismo salutem, & eam tribueret operibus.

XXII. Scriptura, inquit Paulus, bene prævidit & præoccupavit Judæorum glorias, & jactantias justitiæ legis & operum. Quando? ante circumcissionem & legem. Quia quadringentis & triginta annis lex lata est post remissionem, ubi Abraham non solum sine & ante legem iustificatur, sed etiam mortuus & sepultus fuit. Et iustitia ejus sine lege, non solum usque ad legem floruit, sed etiam usque

usque ad finem mundi florebit. Si igitur Pater totius gentis judaicæ, sine lege & ante legem justificatus est, multo magis filii eadem ratione, quâ Pater, iustificantur. Ergo ex fide, non lege est iustitia.

XXIII. Iudæi perversitate suâ eludunt hunc insignem de Benedictione spirituali locum: Benedicentur in te omnes gentes. Putant benedictionem nihil aliud esse, quàm laudem & gloriam in hoc mundo, quod aliquis possit gloriari, se de stirpe & familia Abrahamæ ortum, vel Profelytum esse. Sed hoc est depravare, non enarrare sententias Scripturæ. Paulus definit & constituit nobis in conspectum per ista verba, Credidit Abraham Deo, credentem, iustum, habentem promissionem, & spiritualem Abraham, qui non sit in errore et veteri carne, qui non sit natus ex Adam, sed ex Spiritu Sancto. Et de hoc Abraham renovato per fidem & renato per Spiritum Sanctum loquitur Scriptura, & annunciat eum fore patrem multarum gentium. Item, dandas ei in hæreditatem omnes gentes, cum dicit, Benedicentur in te omnes gentes. Manifestissime loquitur non de carnali, sed spirituali benedictione coram Deo, neque aliter intelligi potest & debet. Est igitur hæc sententia, Benedicentur in te. In quo te? In te Abraham credente, vel, in fide tua, vel, in illo Christo (semine tuo) futuro, in quem credis. Hoc est, omnes gentes erunt filii tui benedicti, quemadmodum tu benedictus es, sicut scriptum est, sic erit semen tuum. Ex hoc sequitur, benedictionem & fidem Abrahamæ eandem esse, quæ nostra est, Christum Abrahamæ eundem esse, qui noster est, Christum æquè pro peccatis Abrahamæ mortuum esse, ac pro nostris Joh. VIII. Abraham vidit diem meum, & gavissus est. Omnia ergo sunt eadem. Iudæi per velum Scripturam inspiciunt, ideo non considerant, quid aut de quare in promissionibus

factis Patribus agatur; id quod nobis maxime observandum est, tunc videbimus Deum cum Patriarcha Abraham loqui non de lege, aut de agendis, sed de credendis, hoc est, Deum loqui cum eo de promissionibus, quæ fide apprehenduntur. Quid facit Abraham? credit illis promissionibus. Quid facit Deus Abrahamæ credenti? fidem imputat illi ad justitiam, & addit insuper plures promissiones: Ego sum protector tuus, Benedicentur in te &c. Eris Pater multarum gentium. Sic erit semen tuum.

XXIV. Benedictio nihil aliud est, quam promissio Evangelii. Et benedici omnes gentes, est omnes gentes benedictionem audire, vel benedictionem spiritualem, hoc est, divinam promissionem prædicari & dispergi per Evangelium in omnes gentes. Et ex hoc loco Prophetæ hauserunt multas prophetias intellectu spirituali, ut Ps. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Ps. 19. In omnem terram exivit sonus eorum &c. Hof. 13. de morte redimam eos, ero mors tua ô mors &c. Summa, omnes Prophetiæ de regno Christi, & de divulgando Evangelio in orbem terrarum, manarunt ex promissionibus istis, in quibus Deus promisit Patribus contritionem capitis serpentis, & benedictionem omnium gentium.

XXV. Hoc est sacerdotale officium & iuge sacrificium Ecclesiæ in Novo Testamento, quæ benedictionem illam distribuit prædicando, administrando sacramenta, absolvendo, consolando, & tractando verbum gratiæ, quod Abraham habuit, quodque erat ejus benedictio, cui cum crederet, benedictionem accepit. Sic & nos eidem credentes, benedicimur. Hæc benedictio tantum fide accipitur, quia textus manifestè dicit, credidit Abraham &c.

XXVI. Est scriptura plena antithesibus. Et ingeniosi homi-

hominis est, cernere Antitheses in Scripturis, ac per eas interpretari ejus sententias. Ut hinc benedictionis vocabulum mox affert contrarium, scilicet maledictionem.

XXVII. Paulus versatur in loco theologico & spirituali coram Deo, non politico, ne aliquis ineptus cavilletur, eum maledicere ac damnare leges politicas, & eos, qui magistratum gerunt. Distingue benedictionem corporalem a spirituali, & dic Deum habere duplicem benedictionem, corporalem seu temporalem pro hac vita, & spirituales pro æternâ. Dicimus, omnes res corporales, ut habere regnum, leges, ordinationes civiles, uxorem, liberos, domum, agros, esse bonas Dei creaturas, divinitus datas, & benedictionem; sed istâ, quæ finem habet, non liberamur ab æternâ maledictione.

## EXERCITATIO SEPTIMA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. III.

XXVIII.

**S**ententiæ Pauli & Mosis omninò disidentes sunt. Pauli, Quicumque fecerint opera legis, maledicti sunt. Mosis, Quicumque non fecerint opera legis, maledicti sunt. Sed altera per alteram probatur, si teneas Articulum Justificationis.

XXIX. Facere, est primùm credere, & sic per fidem præstare legem. Oportet nos primùm accipere Spiritum Sanctum, quo illuminati & renovati incipimus facere legem, hoc est, diligere Deum & proximum.

XXX. Politicum est, ex factis fieri factorem, ut sæpe citharisando fit aliquis citharædus. In Theologia autem factores non fiunt ex operibus, sed ex personis per fidem jam factis fiunt operatores. De talibus loquitur Paulus Rom. 2. cum ait, Factores leges justificantur, id est, justi reputantur. Nam in Theologia justi facti, justa faciunt,

D 3

non

non item in Philosophiâ, ubi facientes iusta iusti fiunt. Itaque fide iustificati facimus bona opera, per quæ, vt 2. Pet. 1. dicitur, vocatio & electio nostra confirmatur, & de die in diem certior fit. Sed quia tantum primitias spiritus, nondum decimas habemus, & reliquæ peccati in nobis manent, Legem perfectè non facimus. Sed hoc credentibus nobis in Christum, qui Abrahamæ promissus est, & nos benedixit, non imputatur. Fovemus enim & alimur propter Christum interim in gremio tolerantia divina.

XXXI. Cùm opponunt Adversarii sententias Scripturæ de Lege & operibus, & urgent vocabula operandi, & faciendi, sic respondebis: Ea esse vocabula theologica, non naturalia aut moralia. Quæ si naturalia vel moralia sint, accipi in suo usu: si verò theologica, includere rectam rationem & bonam voluntatem, incomprehensibilem rationi humanæ. Quare facere in Theologia intelligatur semper de fidei facere: Ut fidele facere sit alius circulus, ac novum quasi regnum, à facere morali. Itaque cùm nos Theologi loquimur de facere, necesse est nos loqui de fidei facere, quia in Theologiâ nullam rectam rationem & bonam voluntatem habemus, præter Fidem. Ista regula pulchre observatur Ebr. XI. Ex quo capite habes canonem, scilicet, Hoc opus ille vel alius fecit in fide, & sic solvis omnia argumenta.

XXXII. Hoc modo etiam distinguere solemus fidem, quòd fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Ut enim artifex varie de suâ materiâ, & hortulanus de arbore vel nudâ, vel gestante fructum, loquitur: Ita & Spiritus sanctus in Scripturâ variè de fide loquitur, jam de fide [ut sic dicam] abstractâ vel absoluta, jam de fide concretâ, composita seu incarnata (hoc est, operante) Fides absoluta seu abstracta est, quando Scriptura ab-



ra absolute loquitur de justificatione, seu de justificatis, ut cernere est in Epistola ad Rom. & ad Gal. Quando verò Scriptura loquitur de præmiis & operibus, tunc de fide composita loquitur. Hujus fidei exempla aliquot recensimus, ut, fides per dilectionem efficax, Hoc fac & vi- ves. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Dei. Qui fe- cerit hæc, vivet in eis. Declina à malo, & fac bonum &c. In istis & similibus locis (quales sunt innumeri in sacris literis) ubi fit mentio de faciendo, scriptura semper lo- quitur de fidei facere. Ut cum dicit, Fac hoc, & vi- ves; hoc vult, Cogita primum, ut sis fidelis, habeas rectam ra- tionem & bonam voluntatem, id est, fidem in Christum, ea habitâ, opereris.

XXXIII. Si charitas est forma fidei, statim cogor sen- tire, ipsam charitatem esse principalem & maximam par- tem Christianæ religionis. Et sic amitto Christum, san- guinem, vulnera & omnia beneficia ejus, & inhæreo cha- ritati, & diligo ac venio in facere morale, ut Papa, gentilis Philosophus, aut Turca.

XXXIV. Fides perpetuò justificat & vivificat, & ta- men non manet sola, id est, otiosa. Non quod non sola in suo gradu & officio maneat, quia perpetuò sola justificat; sed incarnatur, & fit homo, hoc est, non est & manet otio- sa, vel sine charitate. Sic Christus secundum divinitatem est substantia vel natura divina & æterna sine principio; Humanitas verò est natura in tempore creata. Hæ duæ naturæ in Christo sunt inconfusæ & impermixtæ, & utri- usque proprium est distinctè intelligendum. Humanitatis est incepisse in tempus, Divinitatis est esse æternum sine principio. Et tamen conveniunt hæc duo, & incor- poratur divinitas sine principio in humanitatem cum principio. Ut ergò distinguere cogor inter humanita- tem & divinitatem, & dicere, Humanitas non est divini- tas, &

tas, & tamen homo est Deus. Ita hinc distinguo, Fides non est Lex, & tamen Fides operatur. Conveniunt igitur fides & opera in composito, & tamen utrumque; habet & servat suam naturam & proprium officium.

XXXV. Necessarium est, credere & confiteri Articulum de divinitate Christi. Quem ubi Arrius negavit, necesse fuit, etiam negare eum articulum redemptionis. Vincere enim peccatum mundi, maledictionem & iram Dei in semet ipso, non est ullius creaturæ, sed divinæ potentiae opus. Igitur necesse est illum, qui in se ipso ista vicit, verè & natura Deum esse.

XXXVI. Planè Apostolico spiritu Paulus gravissimum argumentum de benedictione & maledictione tractat, dum ipsum Christum non solum maledictio subicit, sed eum etiam dicit factum maledictum. Sic 2. Cor. 5. vocat eum peccatum, cum ait, Eum qui peccatum non noverat, Deus fecit pro nobis peccatum &c. Quanquam hæ sententiæ rectè exponi possint hoc modo: Christus factus est maledictum, id est, hostia pro maledicto, peccatum, id est, hostia pro peccato &c. Tamen magis placet, si servetur propria significatio vocum, propter majorem emphasin. Quia cum peccator venit reverà in notitiam sui, non solum sentit se peccatorem concretivè seu adjectivè, seu etiam abstractivè, seu substantivè, hoc est, non solum videtur sibi calamitosus, sed ipsa calamitas, non solum peccator & maledictus, sed ipsum peccatum & maledictum. Ut & in latina lingua, cum excellenter volumus aliquem significare scelestum, vocamus eum scelus.

XXXVII. Argumentationes ab humanis petitæ, cum sumuntur ab ordinatione divinâ, bonæ sunt. Si autem ab humanis affectibus depravatis sumuntur, malæ sunt & omninò non valent: qualis illa Scoti, minus bonum diligo, ergò plus diligo majus: nam meum diligere non est ordinatio divina, sed depravatio diabolica.

38. Ad-

XXXVIII. Admoneo pietatis amatores, præcipuè qui aliquando aliorum futuri sunt doctores, ut diligenter ex Paulo discant intelligere verum ac proprium legis usum, qui (ut timeo) post tempora nostra iterum obscurabitur & prorsus obruetur. Nam nobis adhuc viventibus, & summâ diligentia utriusque Legis & Evangelii, officium & usum monstrantibus, tamen per paucis sunt etiam inter illos, qui pii videri volunt, & nobiscum profitentur Evangelium, qui ista rectè teneant.

XXXIX. Sciamus disertè ac propriè definire, qui lex, quis usus ac modus, quæ vis, quod tempus & finis ejus sit. Lex est lux, quæ lucet & ostendit, non gratiam Dei, non justitiam & vitam, sed peccatum, mortem, iram & judicium Dei. Quæ cum homini revelantur, impossibile est, ut non fiat impatiens, murmuret, oderit Deum & ejus voluntatem. Non enim potest ferre judicium Dei, suam mortem & damnationem, & tamen non potest effugere. Hic tum necessario incurrit in odium & blasphemiam contra Deum. Prius extra tentationem magnus sanctus fuit, coluit & laudavit Deum, genu flexit & gratias egit, ut Phariseus Luc. 18. Jam autem revelato peccato & morte, vellet Deum non esse. Itaque lex summum odium Dei affert. Et hoc non solum est, ostendi & cognosci lege peccatum, sed etiam per ostensionem augeri, inflari, incendi & magnificari peccatum. Rom. 7.

XL. Durationem temporis Legis, & ad literam & spiritualiter intelligere licet. Ad literam, lex usque ad tempus Gratia duravit. Spiritualiter, Lex non debet diutiùs dominari in conscientia, quam ad præfinitum tempus seminis benedicti. Quando ergò lex ostendit mihi peccatum, perterrefecit me, & revelavit iram & judicium Dei, ut incipiam pallefcere, desperare &c. Ibi præscriptum modum, tempus & finem habet lex, ut desinat suam ty-

E

ranni-

rannidem exercere. Quia tunc satisfecit officio suo, satis ostendit iram Dei & perterrefecit: tempus & hora est seminis benedicti. Sic per accidens Lex cum suo officio etiam prodest ad justificationem, non quidem justificans, sed urgens ad promissionem gratiæ, & faciens eam suavem ac desiderabilem.

XLI. In quolibet Christiano ( utpote qui habet corpus, in cujus membris militat peccatum, captivatque carnem, si non ad assensum vel opus, tamen ad magnum impulsus ) subinde invenitur tempus legis ac Gratiae in affectu. Hoc concludi est sub lege secundum carnem, non in æternum, sed in futurum Christum.

---

## EXERCITATIO OCTAVA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. IV.

I.

**E**st ad docendum utile, in promptu habere similitudines & exempla, quibus non solum Paulus, sed & Prophetæ & Christus ipse frequentissimè usi sunt.

II. Tempus Legis dupliciter finitur. Primùm, ut dixi, per adventum Christi in carnem, tempore à Patre præfinito. Deinde ille idem Christus, qui semel in tempore venit, quotidie & singulis horis ad nos in Spiritu venit. Semel quidem proprio sanguine redemit ac sanctificavit omnes. Sed quia nondum perfectè puri sumus, hærent enim adhuc reliquiæ peccati in carne nostra, quæ militat contra Spiritum &c. Ideò quotidie venit spiritualiter, & indies magis magisque absolvit tempus præfinitum à Patre, abrogat & tollit legem.

III. Sic & Patribus in Veteri Testamento in Spiritu veniebat, antequam in carne appareret. Primùm Lex rudes & carnales civiliter coercebat, ne præcipites ruerent in omnis generis flagitia. Quos sic coercet Lex, illis domi-

dominatur. Deinde spiritualiter seu Theologice accusabat, terrebat, occidebat & condemnabat nos coram Deo, hocq; erat præcipuum Legis imperium in nos: sed hæc tyrannis durare tantum debet usque ad tempus Gratia. Ut supra.

IV. Securis hypocritis, & contemptoribus palam impiis, deinde desperatis, qui nihil restare putant quam pavores Legis, quos sentiunt, illis utrisque adventus Christi non prodest. Prodest tantum vexatis & conterritis lege ad tempus, hoc est, illis, qui in feriis pavoribus, quos Lex efficit, non desperant, sed ad Christum, thronum Gratia, qui redemit eos à maledicto Legis, dum pro ipsis factus est ad maledictum, accedunt cum fiducia, illi misericordiam consequuntur & gratiam inveniunt &c.

V. Extenuationes Legis Paulinae referendae sunt ad certamen conscientiae, non ad civilem vitam & securitatem corda. Cæterum extra locum justificationis debemus cum Paulo reverenter sentire de Lege, & eam summis laudibus vehere, appellare sanctam, justam, bonam, spirituales, divinam &c.

VI. Observa diligenter, quomodo Paulus Christum definiat: Christus, inquit, est filius Dei ac mulieris, qui propter nos peccatores factus est sub legem, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret. His verbis utrumque complexus est, & personam & officium Christi. Persona, constituta est, ex divina & humana natura. Id clarè indicat, cum dicit: Misit Deus filium suum, natum ex muliere. Est igitur Christus verus Deus & verus homo. Officium verò ejus his verbis describit: factus sub legem, ut &c. Hæc verba Christum verè & propriè depingunt, non tribuunt ei officium novae Legis condendae, sed redimendi.

VII. Ut res jucundior & illustrior fiat, Legem pingere  
E. 2 solet

solet Paulus per prosopopœiam, quasi sit potentissima quædam persona, quæ Christum condemnauerit & occiderit; quam ipse superatâ morte, vicissim vicerit, condemnauerit, & occiderit. Ephes. II. Interficiens inimicitiam in semet ipso. Et cap. 4. & Ps. 68. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. Ea prosopopœiâ usus est etiam ad Rom. Cor. Col.

VIII. Non est proprium Christi officium, propter quod præcipuè venit in mundum, docere legem, sed accidentale. Cujusmodi erat & hoc, quòd sanabat infirmos, excitabat mortuos &c. Hæc particularia beneficia sunt, quæ etiam Prophetis & Apostolis competunt.

IX. Spiritus Sanctus dupliciter mittitur, vel cum specie visibili; vel sine eâ, per verbum in corda credentium. Hoc fit, quando per verbum vocale concipimus ardorem & lucem, quâ alii & novi efficimur, quâ novum iudicium, novi sensus & motus in nobis oriuntur. Ista mutatio & novum iudicium non est opus humanæ rationis & virtutis, sed donum & effectus Spiritus Sancti, qui cum verbo prædicato venit, qui fide purificat corda & spirituales motus in nobis parit.

X. Confutanda est perniciofa doctrina, videlicet. Neminem certò posse scire, etiam si pro virili suâ benè operetur & inculpate vivat, utrum in gratia sit. Nam qui de voluntate Dei erga se dubitat, & non certò statuit se esse in gratiâ, is non potest credere, se habere remissionem peccatorum, se Deo curæ esse, se posse salvari. Omnino nos certo statuere oportet, quòd simus in gratiâ, quòd placeamus Deo propter Christum, quòd habeamus Spiritum Sanctum. Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Deinde quicquid dubitans cogitat, loquitur & operatur, peccatum est. Quia omne quod non fit ex fide, peccatum est. Certò statuere debemus, non solum officium nostrum placere Deo, sed etiam personam nostram propter Christum.

XI. In

XI. In seriis pavoribus & certaminibus conscientiae, apprehendimus quidem Christum, & credimus eum Salvatorem nostrum. Sed lex tum maxime terret & peccatum conturbat nos, impugnat denique Diabolus nos omnibus machinis ac ignitis telis suis, & conatur totis viribus eripere nobis Christum, & omnes consolationes excutere. Atque hoc est, quod Paulus 2. Corinth. 12. dicit, Potentiam Christi in infirmitate nostra perfici. Est enim Christus tum vere omnipotens, tum vere regnat ac triumphat in nobis, quando nos tam infirmi sumus, ut vix gemitum edere possimus. Verum Paulus dicit, eum gemitum in auribus Dei esse fortissimum clamorem, qui totum coelum ac terram repleat.

XII. Qui de gratia Dei semper dubitandum putant, uti solent dicto Salomonis Eccles. 9. Sunt justis & sapientibus, & eorum opera in manu Dei. Et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Hoc dictum alii de futuro, alii de praesenti odio Dei accipiunt; sed utriusque non intelligunt Salomonem, qui nihil minus dicit hoc loco, quam quod ipsi somniant.

XIII. Deus non vult, neque aliter potest cognosci, nisi per Christum, juxta illud Joh. I. Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Is est semen Abrahamae promissum, in quod fundavit Deus omnes suas promissiones. Quare solus Christus medium, & ut ita dicam, speculum est, per quod videmus Deum, hoc est, cognoscimus ejus voluntatem. Omnis homo, qui relabatur a cognitione Christi, necessario ruit in Idololatriam, quia necesse est, eum de Deo fingere formam, quae nusquam est.

XIV. Duplex est cognitio Dei, generalis & propria. Generalem habent omnes homines, scilicet, quod Deus sit, quod creaverit coelum & terram, quod sit justus. Sed quid Deus de nobis cogitet, quid dare & facere velit, ut a

peccatis & morte liberemur & salvi fiamus (quæ propria & vera est cognitio Dei) homines non nōrunt. Ut fieri potest, quod aliquis mihi notus sit facie, quem tamen verè non novi, quia non intelligo, quæ sit voluntas ipsius erga me.

XV. Omnis homo deficiens à promissione ad Legem, à fide ad opera, nihil aliud facit, quàm quòd sibi infirmo & egenti imponat jugum importabile. Act. 15. Hoc idem testatur Evangelium de muliere, quæ duodecim annos laboraverat profluvio sanguinis, & multa perpeffa fuerat à compluribus medicis, in quos insumferat omnem substantiam suam, nec tamen poterat ab illis curari, sed quò longius curabatur, hoc pejus habebat &c. Huc Patres etiam accommodârunt dicta de inani operâ, cujusmodi, Saxum volvere, cribro aquam haurire &c. Quibus voluerunt Patres admonere suos discipulos discriminis Legis & Evangelii.

XVI. Dicat aliquis, si Galatæ peccaverunt, observando dies & tempora, cur vos idem facientes non peccatis? Respondeo, Nos observamus diem Dominicum; natalem Domini, Pascha & similes ferias liberrimè. Non oneramus illis ritibus conscientias, neque docemus, eos necessarios esse ad justitiam.

XVII. Quando deest cognitio, exercitium & pura verbi prædicatio apud Pastores & Episcopos, non possunt non agere securi. Non enim exercentur tentationibus, cruce & persecutionibus, quæ puram prædicationem verbi certissimè sequi solent. Ideò impossibile fuit ab ipsis Paulum intelligi. Nos verò gratiâ Dei habemus puram doctrinam, quam & liberè profitemur. Ideò cogimur etiam ferre sævisfima odia & persecutiones diaboli & mundi. Et nisi exercemur vi & dolis per tyrannos & hæreticos, & in corde pavoribus & ignitis Satanæ telis, tam obscurus & igno-



ignotus esset nobis Paulus, quam superioribus seculis fuit  
toti mundo.

XVIII. Cur Paulus Genesin, ex quâ allegat historiam  
de Ismaele & Isaac, vocat Legem, cum ille liber non sit le-  
galis, & præsertim locus, quem citat, nullam Legem, sed  
tantum simplicem narrationem historiæ contineat de du-  
obus filiis Abraham? Paulus more Judaico solet vocare  
primum librum Mosis legem, qui etsi nullam legem ha-  
beat, præter illam de circumcissione, fidemque præcipue  
doceat, ac testetur Patriarchas placuisse Deo propter fi-  
dem, tamen propter unicam Legem de Circumcissione,  
appellaverunt Judæi Genesin, unâ cum aliis libris Mosis,  
Legem. Idem Paulus & ipse Judæus fecit. Et Christus  
non solum libros Mosis appellatione Legis complectitur,  
sed etiam Psalmos Joh. 15. Sed ut impleretur sermo, qui in  
Lege eorum scriptus est, odio habuerunt me gratis.

XIX. Vetus & terrestris Jerusalem abolita est: nova  
autem & cœlestis, quæ Domina fit & libera, constituta est  
divinitus, non in cœlis, sed in terris, ut sit omnium no-  
strum mater, ex quâ nos sumus generati & quotidie ge-  
neramur. Ergo necesse est, hanc matrem nostram, ut &  
ejus generationem, esse in terris inter homines. Generat  
tamen in Spiritu, ministerio Verbi & Sacramentorum &c.  
non in carne. Hoc ideò dico, ne abducamur cogitationi-  
bus nostris in cœlum, sed sciamus, Paulum Jerusalem, quæ  
fursum est, opponere, non localiter, sed spiritualiter ter-  
renæ.

---

## EXERCITATIO NONA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. V.

I.

**L**ibertas alia est carnalis, seu potius diaboli, quæ po-  
tissimum regnat in orbe terrarum: nam habentes  
eam non obtemperant Deo, nec legibus, sed faciunt  
quod

quod volunt. Alia est Politica seu Civilis. Alia verò est Theologica seu spiritualis, qua Christus sic liberat, ut conscientia sit libera & læta, nihil timens venturam iram. Ex hac sequitur alia, qua securi & liberi per Christum effici- mur à Lege, peccato, morte, potestate diaboli, inferno &c. sed libertas illa, quàm Christus peperit, non tam citò cre- ditur, quàm nominatur. Paulus non frustra jubet vigila- re & stare, quia novit, diabolum hoc sedulò agere, ut sub- repta nobis hac libertate, quæ tanti Christo constitit, nos rursus implicet per suos ministros jugo servitutis.

II. Oportet Paulum intelligere secundum materiam subjectam, seu secundum argumentum susceptum, quod est, lege, operibus, circumcissione &c. homines non justifi- cati. Non dicit, opera per se nihil esse, sed fiduciam & justitiam operum: Ea enim facit Christum otiosum, inu- tilem.

III. Evacuati estis à Christo, id est, Christus desit in vobis esse & operari. Nihil habetis ampliùs de cognitio- ne, spiritu, affectu, favore, libertate, vita, actione Christi, sed prorsus separati estis ab ipso, ut nihil negotii sit ei ampli- ùs vobiscum, nec vobis cum ipso.

IV. Spes usu Scripturæ dupliciter accipitur, pro re spe- rata, & pro affectu sperante. Pro re sperata accipitur Co- loss. I. Propter spem repositam vobis in cœlis, id est, rem speratam. Pro affectu sperante Rom. 7. spes, quæ vide- tur, non est spes. Hinc duplex sententia ejus, Nos spiri- tu ex fide spem justitiæ expectamus. Prior est, Nos spi- ritu ex fide spem justitiæ nostræ expectamus, id est, justiti- am speratam, quæ certò revelanda est suo tempore. Altera, Nos spiritu ex fide expectamus spe & desiderio justitiam, Hoc est, sumus justii, & tamen justitia nostra non- dum revelata est, sed pendet adhuc in spe Rom. 8. spe sal- vi facti sumus. Donec enim vivimus, hæret peccatum in carne nostra, manet lex in carne & membris repugnans  
legi

legi mentis nostræ, & captivans nos in obsequium peccati. Illis affectibus carnis furentibus, ac nobis spiritu reluctantibus, manet ibi locus spei. Incepimus quidem justificari fide, qua & primitias spiritûs accepimus, & mortificatio carnis cœpta est, sed nondum perfectè justi sumus. Reliquum est, ut perfectè justificemur, hocq; speramus, ac justitia nostra nondum est in re, sed adhuc in spe.

V. Tentatio est docendum, Tu frater vis habere justitiam sensitivam, hoc est, cupis ita sentire justitiam, ut peccatum sentis: hoc non fiet. Sed tua justitia debet transcendere sensum peccati, & sperare, te coram Deo justum esse: Hoc est, tua justitia, non est visibilis, non est sensibilis, sed speratur suo tempore revelanda. Ideò non debes judicare secundum sensum peccati, quod perterrefacit & conturbat te, sed secundum promissionem & doctrinam fidei, qua promittitur tibi Christus, qui est perfecta & æterna justitia tua. Sic spes mea in affectu sperante, in mediis pavoribus & sensu peccati provocatur & erigitur fide, ut speret me esse justum. Deinde spes, pro re sperata, hoc quod nondum videt, sperat perficiendum esse, & revelandum suo tempore. Utraq; sententia bona est, sed prior de affectu sperante uberiores affert consolationem. Hæc tum rectè intelliguntur, cum ad usum transferuntur.

VI. In Politia differunt prudentia & fortitudo, tamen ita conjunctæ sunt hæ virtutes, ut facilè divelli non possint. Fortitudo est constantia animi, quæ in adversis non desperat, sed fortiter perdurat & expectat meliora. Nisi autem fortitudo dirigatur, prudentiâ, temeritas est. Et vicissim nisi ad prudentiam accesserit fortitudo, prudentia vana & inutilis est. Sicut igitur in politia prudentia sine fortitudine vana est, ita fides in Theologia sine spe nihil est, quia spes fert & perdurat in malis, ac vincit ea. Ea vicissim sicut fortitudo sine prudentia temeritas est, ita spes sine fide præsumptio in spiritu & tentatio Dei est. Summa,

F

fides

fides docendo concipitur, & est dialectica; spes exhortando, & est rhetorica.

VII. Fides docet veritatem, ac defendit ab erroribus & hæresibus. Spes fert & vincit omnia mala corporalia & spiritualia charitas, facit omnia bona. Sic homo intus & foris integer & perfectus est in hâc vitâ, donec reveletur justitia, quam exspectat, Ea erit consummata & æterna.

VIII. Quis ferat, doceri, quod fides, donum Dei per Spiritum Sanctum infusum cordibus. possit stare cum peccato mortali? si de fide acquisita seu historica & naturali opinione, ex historia concepta loquerentur, tolerari possent, imò de historica fide rectè loquerentur. At de fide infusa sic sentire, hoc est planè confiteri, sese prorsus nihil de fide rectè intelligere.

IX. Non dicit Paulus, charitas est efficax, sed fides est efficax. Non, charitas operatur, sed fides operatur. Charitatem verò facit fidei velut instrumentum, per quod operetur.

X. Utrinq; à dextris & sinistris excludit à regno Christi hypocritas. A sinistris Judæos & operarios, dicens, in Christo neq; circumcisio, id est, nulla opera, nullus cultus, nullum prorsus vitæ genus: sed sola fides sine omni fiduciâ operum valet. A dextris, ignavos & inertes ac desides, quia dicunt, si fides sine opere justificat, ergò nihil operemur, sed credamus solum, & faciamus quæ volumus. Non sic impii, dicit Paulus. Verum est, sine operibus solam fidem justificare, sed de fide verâ loquor, quæ postquam justificaverit, non stertit otiosa, sed est per charitatē operosa.

XI. Forma vitæ Christianæ audita seu cognitâ, scilicet quòd sit fides & charitas; nondum dicitur, quid sit fides, quid sit charitas: Hæc enim alia est disputatio.

XII. Sententiam illam, Modicum fermenti totam massam corrumpit, Paulus & ad doctrinam, ut hoc loco ubi de justificatione agit, & ad vitam & ad malos mores, ut I. Cor. 5. referre solet.

XIII. Si

XIII. Si Deum in uno Articulo negas, in omnibus negasti. Quia Deus non dividitur in multos articulos, sed est omnia in singulis, & unus in omnibus articulis.

XIV. Bernhardus animadvertit, Ecclesiam tum in optimo statu esse, cum undique impetatur vi & dolis à Satana; contra pessimè habere, cum in summâ pace agat. Paulus pro certissimo signo habet, Evangelium non esse, si salvâ pace prædicetur. Contra mundus pro certissimo signo accipit, Evangelium esse hæreticam & seditiosam doctrinam, quia videt, prædicationem ejus sequi ingentes tumultus, turbationes, scandala, sectas &c. Impossibile est, non sequi scandalum crucis, florente Evangelio, vel certe diabolus non est rectè petitus, sed tantum leniter palpatus. Si vere petitur, non quiescit, sed incipit horribiliter tumultuari, & omnia perturbare.

XV. Crux Christianorum, persecutio cum ignominia & sine ulla commiseratione, ideoque valde scandalosa est. Mundus reputat, duplex commodum ad se redire. Primum, quod obsequium præstet Deo, si interficiat eos. Deinde publicam pacem sperat restitui, istis partibus ablatis.

XVI. Securis contemtoribus, certò annunciamus, quod si corpore & facultatibus suis utantur pro suâ libidine, quod liberi non sint, ut maximè se tales gloriantur, sed admiserint Christum & libertatem, & servi sint diaboli, transferentes libertatem spiritûs in licentiâ & lasciviam carnis.

XVII. Diabolus non solum potest egregiè obscurare nobilissimum proximi objectum & ex animo eximere, sed etiam cordi planè contrariam opinionem persuadere, ut judicet proximum non amore, sed odio dignissimum. Tantum suggerit: Ecce, is homo hoc vitio laborat, objurgavit te, nocuit tibi &c. Hic statim vilescit hoc objectum amabilissimum, ut amplius non agnoscatur proximus diligendus, sed hostis odio dignissimus. Hoc modo Satan mirificè potest habitum diligendi in corde nostro muta-

re, ut ex amatoribus proximorum fiamus detractores, offensores & persecutores ipsorum, ut nihil in nobis de illo præcepto ( diliges proximum tuum sicut te ipsum ) maneat, quam nudæ & inanes literæ & syllabæ: sed qui me injuria affecit, non ideò desinit esse proximus meus.

XVIII. Nisi fideles & prudentes sint ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, qui recte secant verbum veritatis, statim fides & opera confunduntur. Uterq; locus & fidei & operum diligenter doceri & urgeri debet, sic tamen, ut uterq; intra suos limites maneat. Alioqui si opera sola docentur, fides remittitur. Si fides sola docetur, statim somniant carnales homines, opera non esse necessaria &c.

XIX. Magnam consolationem habent pii ex hac doctrinâ Pauli, quod norunt se partim carnem, partim spiritum habere, sic tamen ut Spiritus dominetur, caro subiecta sit, justitia regnet, peccatum ferviat. Pii soli vere sentiunt, se peccata habere & committere, hoc est, se non satis ardentem amare Deum &c. De his non loquimur, qui somniant se fidem habere, & tamen interim in peccatis vivunt. Hi habent sententiam suam, secundum carnem viventes moriuntur, item manifesta sunt opera carnis &c. qui talia, regnum Dei non consequentur.

XX. Spiritu duci seu trahi est, hanc voluntatem servare, quæ adversatur carni, & ejus concupiscentias non perficit. Ita affectus non est sub lege. Tanta est enim potentia domini spiritus, ut, quod vere peccatum est, tamen Lex non possit accusare. Itaq; arripientes gladium spiritus, hoc est, verbum salutis, scilicet quod Deus nolit mortem impii &c. pugnamus contra tentationes, tunc haud dubie victores erimus, etiamsi durante pugnamus contra tentationes, tunc haud dubie victores erimus, etiamsi durante pugna plane contrarium sentiamus. Remoto autem ex oculis verbo, non est consilium, neq; auxilium

xilium &c. Ego expertus ista loquor. Passus sum varias & multas passiones, & eas gravissimas. Quàmprimum autem aliquod dictum Scripturæ apprehendi, & illi tanquam sacrae anchoræ innixus sum, statim deferbuerunt, quas sine verbo impossibile mihi fuisset vel modicum tempus sustinere, multò minus vincere. Alius tamen aliter tentatur, secundum discrimen personarum. Hic gravioribus motibus exercetur, quales sunt: Tristitia spiritus, blasphemia, diffidentia, desperatio &c. Alius crassioribus, quales sunt libido, ira, odium &c. Sed ibi Paulus requirit à nobis, ut Spiritu ambulemus & carni resistamus. Sola inedia ardor libidinis non extinguitur, sed accedere oportet Spir., hoc est, meditationem Verbi, fidem & orationem. Jejunium vincit quidem illos crassos impetus libidinis, ipsa autem desideria carnis nulla abstinentia cibi & potus, sed seriâ meditatione verbi & invocatione Christi superantur. Qui autem carni obsequitur, & pergit securus desideria ipsius perficere, ille sciat se non pertinere ad Christum, & ut maxime sese ornet nomine Christiano, tamen seipsum fallit. Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum concupiscentiis &c.

## EXERCITATIO DECIMA

Ex Comment. LUTHERI in Cap. VI.

I.

**P**Aulus atrociter invehitur in deterrimum vitium, quod *νενοδοξία* vocatur, quod causa fuit perturbationis omnium Ecclesiarum in Galatia, quodque semper pestiferum & exitiale fuit Ecclesiae Christianae.

II. Si verum est, quòd spiritu vivimus, ordine etiam incedamus & spiritu ambulemus. Nam ubi spiritus est, renovat homines, parit in eis novos motus, hoc est, ex vanè gloriosis, iracundis, invidis &c. facit humiles, mansuetos, patientes &c. Tales non suam gloriam, sed Dei quærunt, non invicem provocant & invident, sed alii aliis cedunt & honore perveniunt. Contra qui cupidi sunt gloriae, qui invicem provocant & invident, illi quidem jactare possunt se spiritum habere, se vivere spiritu, sed se ipsos fallunt, carnem sequuntur, & ejus opera perficiunt, habentq; judicium suum, quòd regnum Dei non consequentur.

III. Evan-

III. Evangelium non est traditum, ut laudem & gloriam nostram inderamus, aut ut populus nos ejus ministros veneretur & magnificat: sed ut per illud illustretur beneficium & gloria Christi, ut Pater glorificetur in misericordia sua, quam nobis exhibuit in Christo filio suo, quem pro nobis omnibus tradidit, & cum eo nobis omnia donavit. Ideò Evangelium doctrinæ genus est, in quo nihil minus quærere debemus, quàm gloriam nostram. Proponit res cœlestes & æternas, quæ nostræ non sunt, quas nos nec fecimus nec meruimus, sed offert eas nobis indignis ex merâ benignitate Dei. Cur ergò de eis arrogemus nobis gloriam? Ideò qui in Evangelio suam gloriam quærit, à semetipso loquitur. Qui autem à semetipso loquitur, mendax est, & injustitia in illo est. Contra, qui quærit gloriam ejus, qui misit ipsum, hic verax est & injustitia in illo non est. Joh. VII.

IV. Deus singulari gratiâ Doctores Evangelii cruci & omnis generis afflictionibus subjicit, in suam ipsorum & populi salutem, alioqui enim nullo modo hanc bestiam, quæ dicitur *κυνδοξία*, posset reprimere & contundere. Nam si doctrina Evangelii meram laudem, admirationem & gloriam apud homines haberet, & nulla prorsus eam sequeretur persecutio, crux, ignominia &c. tum certè omnes professores ipsius peste inanis gloriæ inficerentur & perirent. Hieronymus alicubi in hanc sententiam dicit; Se multos vidisse, qui potuerint perferre multa incommoda in corpore & fortunis, qui autem potuerit contemnere laudes suas, neminem.

V. Qui nec laudibus efferuntur nec vituperiis franguntur, sed simpliciter student beneficium & gloriam Christi prædicare & salutem animarum quærere, ordine incedunt. Si laudaris, scito non te laudari, sed Christum, cui omnis laus & gloria debetur. Quod enim piè doces, sanctè vivis, non sunt dona tua, sed Dei. Ergò non tu laudaris, sed Deus in te. Hoc ubi agnoveris, in ordine manebis, non effereris gloria (Quid enim habes, quod non accepisti?) sed eam acceptam feres Deo. Nec convitiis, infamiâ, persecutione moveberis, ut deseras vocationem &c.

VI. Quod ab initio, inquit Lutherus, hujus causæ credidi & docui de Justificatione, de Sacramentis & de omnibus aliis doctrinæ Christianæ articulis, adhuc hodie, nisi majore certitudine (ea enim aucta est studio, usu & experientiâ, de inde magnis & crebris tentationibus) credo & profiteor, & quotidie Christum oro, ut in eâ fide & confessione me conservet, & corroboret usque ad diem adventûs sui gloriosi, Amen.

VII. Si præoccupatus fuerit homo, id est, circumventus à Diabolo aut carne. Et vocabulum hominis etiam valet ad extenuationem rei, quasi dicat,

cat,



cat, quid est homini tam proprium, quam labi, decipi, & errare posse? Sic Moses in Levitico ait, sicut homines solent peccare. Est ergo sententia consolationis plenissima, quæ me semel in summo certamine à morte liberavit. Quia igitur Sancti in hac vita non solum in carne vivunt, sed etiam quandoq; instinctu diaboli concupiscentiam carnis perficiunt, hoc est, labuntur in impatientiam, invidiam, iram, errorem, dubitationem, diffidentiam &c. (Satan enim perpetuò impugnat utrumq; & puritatem doctrinæ, quam conatur tollere per sectas & discordias, & integritatem vitæ, quam per quotidiana delicta & offensiones polluit) docet Paulus, quomodo cum talibus lapsis agendum sit, nempe ut hi, qui firmi sunt, instaurent eos spiritu leni.

**VII.** Non frustra dicit Paulus, considerans te ipsum, ne & tu tenteris Qui exercitati sunt tentationibus, noverunt, quàm necessarium sit hoc præceptum. Contra, qui illis non sunt probati, non intelligunt Paulum, ideoque nulla misericordia tanguntur erga lapsos.

**VIII.** *Κεβόδοξοι* conjungunt hæc tria vitia. Primum vanæ gloriæ cupidissimi sunt. Deinde mirè ingeniosi sunt ad calumniandum aliorum bene dicta & facta, ut hac via populi applausum acquirant. Tertiò cum illustres facti sunt apud vulgum, alieno tamen labore & periculo, tam fortes & animosi fiunt, ut nihil non audeant.

**IX.** Qui rectè & fideliter administraverit officium suum, nihil curat, quid mundus de se loquatur, non curat, sive laudet, sive vituperet eum, sed habet gloriam in semetipso, quæ est testimonium conscientiæ & gloria in Deo. Ideoque cum Paulo dicere potest, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & sinceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in Gratia Dei conversati sumus in hoc mundo &c. Illa gloria est pura & stabilis. Non enim pendet à judicio aliorum, sed à conscientia propriâ, quæ nobis testimonium præbet, nos rectè docuisse, rectè administrasse Sacramenta, & omnia rectè fecisse, ideoq; non potest contaminari aut tolli.

**X.** Extrema dementia est, quod quæris gloriam in aliis, & non in temetipso. In agone enim mortis & novissimo judicio, nihil proderit tibi, quod alii te laudaverint. Nam onus tuum alii non portabunt, sed tu stabis ad tribunal Christi, & solus portabis onus tuum. Ibi nihil juvare te potuerunt laudatores tui.

**XI.** Quanquam nullum opus conscientiam possit tranquillam reddere coram Deo, tamen necesse est nos certò posse statuere, quòd opus nostrum fecerimus in sinceritate, veritate & vocatione divinâ, hoc est, quòd verbum Dei non corrupimus, sed illud purè docuerimus &c. Hoc conscientiæ testimonio

Amomio de ministerio rectè administrato, & vita etiam bene peracta, nobis opus est.

XIII. Conclufurus Epistolam a specie ad genus transit, & in genere ad omne bonum opus hortatur. Q. D. Non solum erga ministros verbi, sed etiam erga omnes simus liberales & benefici, idq; sine defatigatione. Nam facile est semel atq; iterum benefacere, sed perdurare, nec vinci ingratitude aut malitiâ eorum, quibus benefeceris, hoc opus, hic labor est.

XIV. Etiam si quis legem foris servet gestibus & ceremoniis, tamen servando eam non servat. Lex enim sine Spiritu Sancto non potest impleri. Sine Christo autem non accipitur Spiritus Sanctus, quo non accepto, manet spiritus immundus, id est, contemnens Deum & quærens suam gloriam. Ideò quicquid legis facit, hypocriticum est, & duplex peccatum. Immundum enim cor non implet, sed fors tantum simulat se implere legem, atq; ita magis corroboratur in impietate & hypocrisi sua.

XV. Crux Christi non significat lignum illud, quod Christus in humeris suis portavit, & cui postea affixus est; sed in genere significat omnes afflictiones omnium piorum, quorum passiones sunt Christi passiones. 2. Cor. 1. Coloss. 1. Act. 9. Qui Ecclesiam tangit, tangit pupillam oculi Christi. Sensus subtilior & velocior est in capite, quam in reliquis membris corporis. Hoc experientiâ videmus. Nam læso digitulo pedis aut alia minima corporis parte læsa, statim caput in vultu prodit se hoc sentire. Nasus enim contrahitur, oculi torvum vident &c. Sic Christus caput nostrum afflictiones nostras suas facit, & patitur, cum nos corpus ipsius patimur.

XVI. Mundus est mihi crucifixus, id est, ego iudico mundum esse damnatum. Et ego mundo sum crucifixus, hoc est, mundus vicissim me iudicat damnatum.

XVII. Nova creatura, qua reparatur imago Dei, non fit fucis aut simulatione ullorum operum externorum, sed per Christum imaginem Dei in iustitia & sanctitate veritatis creatur. Est opus Spiritus Sancti, qui fide purificat cor, & efficit timorem Dei, charitatem, castitatem &c. ac donat virtutem domandæ carnis, & fugiendæ iustitiæ & sapientiæ mundi &c. Hic non est fucus, aut tantum nova externa species, sed res ipsa geritur. Revera sensus alius & aliud iudicium, nempe spirituale nascitur, quod ea, quæ prius magnificavit, post abominatur. Nova creatura est renovatio mentis per Spiritum Sanctum, quam sequitur postea etiam mutatio membrorum & sensuum corporis. Nam ubi cor novam lucem, novum iudicium & novos motus per Evangelium concipit, fit ut interni quoq; sensus innoventur.

F I N I S.

obis  
ead  
fed  
am  
adi-  
er-  
Si-  
net  
I-  
um  
na-  
eris  
fli-  
r. L.  
fus  
Hoc  
oris  
ra-  
no-  
am-  
adi-  
la-  
ju-  
rifi-  
tem  
est  
fus  
gni-  
um  
um  
otus


05 A 227

ULB Halle 3  
004 207 017  


V017  
ack







OBSERVATIONUM  
THEOLOGICARUM  
*ex Commentario B. Lutheri in  
Epistolam ad Galatas,*  
finitis in eandem Prælectionibus  
in  
ALMA ELECTORALI FRIDERICIANA  
ad disputandum selectarum  
**EXERCITATIONES**  
X.  
PRÆSIDE  
**JOACHIMO JUSTO  
BREITHAUPT, D.**  
publicè habitæ  
ANNO M DC XCIV.

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, AC. TYP.

